

6
Prof. Dr. G. Curtius
in Teutlham
v. V. f.

DE
TITVLIS ALIQVOT ATTICIS
QVAESTIONES HISTORICAE.

DISSERTATIO INAUGVRALIS
QVAM
SVMMORVM IN PHILOSOPHIA HONORVM
AVCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS
IN
VNIVERSITATE FRIDERICIA GVILELMIA RHENANA

RITE OBTINENDORVM CAUSA
VNA CVM SENTENTIIS CONTROVERSIIS
DIE XXII MENSIS IANVARIII A. MDCCCLXXVI
PVBLICE DEFENDET
SCRIPTOR

GEORGIVS LOESCHCKE
SAXO.

ADVERSARIORVM PARTES SVSCIPIENT

AVGVSTVS FRESENIVS DR. PHIL.
FELIX HETTNER STVD. PHIL.
GVSTAVVS HEYLBVT STVD. PHIL.

BONNAE

TYPIS CAROLI GEORGI, VNIV. TYPOGR.

1876.

Bibliothèque Maison de l'Orient



163493

ARNOLDO SCHAEFER

s.

I.

Quo anno factum sit decretum C. I. A. nr. 32.

Decretum de quaestoribus reliquorum deorum creandis quod nunc optime editum restitutumque extat in C. I. A. nr. 32 vetustius esse Olymp. 86, 3 probavit Kirchhoffius in Commentt. Acad. Berol. a. 1864 p. 8 sqq. Num vero hoc quoque recte statuerit vir doctissimus decretum illud ipso secundo Olymp. 86 anno Atheniensibus placuisse nonnullis de causis dubitarim.

Unum autem est argumentum quo tota eius nititur ratiocinatio ¹⁾).

Etenim rerum sacrarum traditiones, quales secundum ipsum illud decretum promulgari coeptae sunt, ante Olymp. 86, 3 nullas unquam extitisse demonstratum ivit Kirchhoffius e ratione qua servatae eiusmodi traditiones — sunt autem superstites inde ab Olymp. 86, 3 — per quinque tabulas dispositae sint.

Et Pronai quidem tabulae, de quibus solis certum iudicium ferre licet, ita sunt exaratae ut adversae reciperent prima traditiones Olymp. 86, 3 — 87, 2, secunda Olymp. 87, 3 — 88, 2, tertia Olymp. 88, 3 — 89, 2 deinde transitu facto ad posticas primae inscriberentur traditiones Olymp. 89, 3 — 90, 2, secundae Olymp. 90, 3 — 91, 2, tertiae

1) Alterum quod protulerat argumentum futile esse ex eo quod ipse adnotavit ad C. I. A. 299 luculenter apparet.

Olymp. 91, 3 — 92, 2. Iam quarta opus erat tabula in qua rationes proximorum annorum scriberentur. Et sane reliquae sunt tabulae quarum altera continet traditiones Olymp. 92, 3 et 4, altera Olymp. 93, 1 et 2.

Quibus omnibus egregie explanatis vir doctissimus concludit scribam traditiones Olymp. 89, 3 lapidi incisurum tabula si exstisset in antica parte Olymp. 85, 3 — 86, 2 traditiones continens, repletis quattuor tabularum paginis adversis ad illius aversam transiturum fuisse, non autem pagina intermissa posticam completurum fuisse paginam eius tabulae quae rationes Olymp. 86, 3 — 87, 2 teneret: quod cum dubitari nequeat quin fecerit, traditiones Olymp. 86, 3 vetustiores nunquam promulgatas esse.

Haec fere Kirchoffius.

Et Olymp. 85, 3 quidem rerum sacrarum indices non proponi coeptos esse rectissime e tabularum ratione collegit. Quid autem impedit quominus iam inde ab Olymp. 84, 3 indices illos promulgatos esse statuamus? Nonne lapidis cuiusdam paginae adversae rationes Olymp. 84, 3 — 85, 2, aversae Olymp. 85, 3 — 86, 2 inesse potuerunt?

Dicet aliquis Athenienses Olymp. 85, 3 demum Minervae Parthenonem dedicasse.

At in Opisthodomio, qui solus in decreto illo commemoratur, iam antea pecunias conditas esse omnes fere consentiunt ¹⁾.

Neque quae proposui eo refelli puto quod ne minima quidem fragmenta supersunt tabularum ante Olymp. 86, 3 promulgatarum. Nam fieri potuit pro rei natura ut ante Olymp. 86, 3 Athenienses non singillatim confecerint Pronai, Hecatopedi, Parthenonis tabulas sed quaequae templo inerant uno eodemque complexi sint indice ut uno forsitan casu rationes illae interierint omnes.

Quamobrem a Kirchoffii ratiocinatione recedendum

1) cf. Wachsmuth, de urbe Atheniensium p. 545.

erit, si modo decretum C. I. A. nr. 32 Olymp. 86, 2 antiquius esse certis argumentis effecerimus.

Sunt autem certa huius rei argumenta.

Et primum quidem hoc ipso decreto declaratur Athenienses nuper in aerario 3000 talenta deposuisse (A. v. 3). Quod, si cum Kirchhoffio facimus, factum est Olymp. 86, 2. Iam vero e Thucydidis lib. II c. 13 constat in aerario cum res maxime floruerint fuisse 9700 talenta, quorum ineunte bello peloponnesiaco 6000 tantum reliqua fuerint. Quaerendum est igitur num quae Thucydides de aerario nobis tradidit, congruant cum iis quae Kirchhoffius de illius decreti tempore computavit.

Quodsi Olymp. 86, 2 redditis 3000 illis talentis fuissent in aerario 9700, necesse esset Athenienses inter annos Olymp. 86, 2 — 87, 2 non solum omnia quae quotannis redierant, sed insuper 3700 talenta ex aerario deprompta profudisse.

Quod nemo, opinor, factum esse contendet, qui meminerit Athenienses per undecim annos et eosdem bellicosissimos Olymp. 87, 2 — 89, 4 haud plus 4750 talentis ex aerario mutuatos esse (C. I. A. p. 149).

Neque etiam ut Athenienses inter Olymp. 86, 2 et 87, 2 solitum expensorum modum adeo excederent eis effici potuit sumptibus quos consumebant eo tempore in Potidaea oppugnanda Propylaeisque institutis iam Olymp. 85, 4 absolvendis. Nam usque ad Olymp. 87, 2 Athenienses in Potidaeae obsidione nondum 1000 talenta impendisse consentaneum est, Propylaeorum opus autem parvo sumptu ab Atheniensibus exstructum esse probavit vir architecturae haud minus peritus quam philologiae Ricardus Schoene 1).

Quot putas talenta in Parthenonem aliasque aedes locupletissime exornatas impendenda fuisse, si per paucos

1) In annalibus qui inscribuntur »Im neuen Reich« II p. 293. cf. Wachsmuth, l. l. p. 524, 2.

hos annos quibus amplioribus sumptibus locus non erat praeter annuos reditus 3700 talenta perdidissent.

Quae cum ita se habeant Olymp. 86, 2 9700 talenta aerario infuisse concedi non potest.

Itaque eo deducimur ut anno aliquo ante Olymp. 86, 2 tantam pecuniam in arce fuisse putemus. — Sed ne ea quidem ratione Kirchoffii de illius decreti tempore sententiam quispiam tueri poterit. Nam inde ab eo anno quo 9700 talenta praesto fuisse ponimus usque ad Olymp. 86, 2 opus esset minimum 3000 talenta expensa esse. Si minus, plus quam 9700 talenta, (3000 scilicet Kirchoffium si sequimur additis) Olymp. 86, 2 in aerario fuisse nobis statuendum foret.

Praeterea inde ab Olymp. 86, 2 — 87, 2 fieri non potest quin c. 3700 talenta Athenienses expendisse arbitremur, ne calculi nostri pugnent cum talentorum numero quae a Thucydide initio belli praesto fuisse docemur. Athenienses autem 6700 talenta a Deae quaestoribus mutua sumpsisse non solum omni probabilitate caret sed etiam refellitur Thucydidis testimonio utpote qui 3700 tantum talenta ex aerario expensa fuisse significet.

Cum igitur Kirchoffii rationes ad ea quae Thucydidis tradidit nullo modo quadrare demonstraverimus, simul effecimus non recte egisse virum doctum decretum illud secundo demum Olymp. 86 anno factum esse opinatum.

Eodem adducimur argumento altero. Nimirum decreto quo de agimus Hellenotamiae apud quaestores Minervae deponere iubentur quaecunque per totum annum ex tributis redeant ¹⁾. Quaestorum igitur abhinc erat tri-

1) [*Ἐκ δὲ τῶν φόρων*] κατατιθέναι κ[ατὰ τὸ]ν ἐναυτὸν τὰ ἐκά[στοτε γινόμενα παρὰ τοῖς ταμίαισι τῶν [τῆς Ἀθ]ηναίας τοὺς Ἑλληνο[ταμίας] (C. I. A. I nr. 32 B. v. 19. 20.) Quod recte reddere videtur Kirchoffius in Commentt. a. 1864 p. 9 »die Hellenotamien

buta cum custodire tum populi iussu expendere. Hellenotamiae aerario praesesse desierunt. Quoniam autem sunt unde quis colligat hoc decretum nunquam Athenis valuisse iam accuratius in hanc rem inquirendum est.

Saepius enim evenit ut ex parte operum publicorum sumptus ex Hellenotamiarum aerario erogarentur, veluti in Propylaeis aedificandis. Numerabatur autem Propylaeorum curatoribus ab Hellenotamiis τοῦ ξυμ[μαχικοῦ φόρου] μνᾶ ἀπὸ τοῦ [τα]λάντου. (C. I. A. 315. 316. 354). Sexagesimam vero tributorum (μνᾶ ἀπὸ τοῦ ταλάντου) cum in Minervae quaestores semper competiisse constet, quaestorum iussu eas pecunias ab Hellenotamiis solutas esse in propatulo est.

Neque aliter explicandum erit si operis cuiusdam publici curatores e quorum rationibus fragmenta restant C. I. A. 300—311 nonnunquam pecunias se accepisse profitentur παρὰ Ἑλληνοταμιῶν. (304. 309. 310.) Acceperunt haud dubie ab Hellenotamiis. Sed Hellenotamias antea a Minervae quaestoribus eas pecunias ut redderent accepisse ¹⁾, curatoribus non tanti erat ut tabulis incidendum curarent ²⁾.

sollen hinfort alles aus den Tributzahlungen Eingehende bei den Schatzmeistern der Athena deponiren«. Koehlero tantum pecuniae quod superfuerit depositum fuisse placet contra quae traduntur, cf. Commentt. a. 1869 p. 104.

1) Iidem pecunias a quaestoribus acceptas praetoribus numerasse dicuntur e. c. C. I. A. 180, 17—20. cf. 183, 6—8. 188. 189 alios titulos.

2) Quod attinet ad C. I. A. 304. 309. 310 nescio an praestiterit quam nunc proponere in animo est explicatio. Nimirum scribas quorum nomina tributorum laterculis anteposita sunt, non Hellenotamiarum esse sed logistarum Koehlerus ex eo collegit (Commentt. a. 1869 p. 106) quod, cum Olymp. 86, 3 apud Hellenotamias scribae officio functus sit Protogenes Cephisius (C. I. A. 315), in tributorum catalogo eiusdem anni nominetur Acharnensis quidam. Sed quod vicesimo primo laterculo adiciendum putaverat fragmentum, partem laterculi fuisse septimi decimi ex fragmentorum ordine a Kirchhoffio

Iam unum restat quod refellam.

Interdum enim ab ipso populo scimus Hellenotamias iussos esse mercedem solvere eis a quibus decreta pilis inciderentur. (C. I. A. 59. 61.) Tamen ne hoc quidem me

nunc indagato manifestum est (C. I. A. 242). Itaque cuiusnam scribae nomen Olymp. 86, 3 tributorum indici praescriptum fuerit cum nesciamus, tota quaestio redintegranda est. Atque sexagesimae catalogos cum primum logistarum scribae proponere iussi sunt utrum illorum nomina an Hellenotamiarum scribarum laterculis praescriberentur decretum esse per se apparet. Neque ut in ipso primo indice exarando putem contra decretum illud actum esse a me impetro. Qui autem scriba Olymp. 81, 3 in primi catalogi capite nominatur, Hellenotamiarum est nec aliter Olymp. 89, 4. Tertii autem indicis caput in quo quin logistarum scriba appareat non est dubium, non solita ratione exaratum esse ipsa forma prodere videtur. Accedit quod, quantum scimus, logistae titulis a se promulgatis aliorum magistratum scribas praepone soliti sunt. (C. I. A. 273.)

Sed plus ponderis dandum est ei quod in Olymp. 84, 1 catalogo scriba nominatur *Στρομβίχος Χολλείδης* quem apud Hellenotamias scribae munere functum esse satis constat e C. I. A. nr. 310.

Quo cum titulo quam artissime coniungendus est C. I. A. nr. 309, non solum propter argumenti similitudinem sed etiam quod tantum in duobus his fragmentis magistratus cuiusdam recensetur pensio cuius nominis reliquae sunt litterae: *παρὰ ξεν* . . . Quare coniecero haec fragmenta ad continuos annos referenda esse. Atque cum titulus C. I. A. nr. 309 exararetur, apud Hellenotamias scribae partibus functus est *Eleusinius* quidam. Putasne casu in tributorum laterculis nominari Olymp. 84, 1 Strombichum Cholleidem, Olymp. autem 84, 2 Sophiadem *Eleusinium*? Qua de causa Hellenotamiarum scribarum nomina tributorum catalogis anteposita fuisse quamquam pro certo venditare nolim, verisimile tamen mihi esse videtur. Quo concesso certum fit numerasse Hellenotamias curatoribus illis Olymp. 84, 1 et 2, quo tempore mox videbimus tributorum curam quaestoribus nondum traditam fuisse. Paulo ante propositum esse censeo titulum C. I. A. 304 cuius 12. versu utrum *Μυρρι]νούσιο[ς* an *Ἀγ]νούσιο[ς* supplendum sit in medio relinquam. Olymp. autem 85, 3 rationibus adiciendum esse videtur fragmentum C. I. A. 316.

movet ut abstinence a coniectura mea. Nam apodectis quoque, quos nunquam ipsos aerario praefuisse viri docti consentiunt, interdum ut lapicidis solverent mandatum est. (Boeckh, Oec. pub. Ath. I p. 215.) Nec est quod miremur. Facillime enim fieri potuit ut cum apud apodectas tum apud Hellenotamias praesto essent pecuniae, quas acceperant quidem a sociis sed magistratibus nondum reddiderant. Ex his igitur pecuniis cum populo placuisset numerabant.

Qua cum coniectura optime convenit quod decretum C. I. A. 59 quo Hellenotamiae lapicidisolvere iubentur, medio fere mense Elaphebolione factum est. Hoc enim mense socios tributa Hellenotamiis tradere solitos esse constat. Sed ne longus sim titulos proferam aliquot e quibus observatum fuisse decretum illud satis apparebit.

Et primum quidem ex tabula qua summae recensentur Olymp. 92, 3 *ἐκ τῶν ἐπετείων* editae, Minervae quaestores cum Hellenotamiis tum praetoribus pecunias ex Samo cessisse intellegitur (*τὰ ἐξ Σάμου ἀνωμολογήθη* C. I. A. 188, 26. 34). Huius argenti qualis ratio fuerit iam Boeckhius perspexit qui Atheniensium exercitum in Samo eas pecunias deposuisse docet, quas ex sociorum civitatibus tributorum loco collegerant (C. I. Gr. I p. 223). Quae pecuniae quamquam a sociis quin exactae fuerint dubitari nequit tamen non ab Hellenotamiis sed a quaestoribus dispensabantur. Quod nisi ex decreti nostri auctoritate fieri non potuit.

Nec minus decretum nr. 32 observatum fuisse tituli fragmento probatur quod nunc editum extat in C. I. A. nr. 177. Hoc enim fuisse e rationibus quaestorum Minervae de pecuniis in bellum adversus Samios gerendum erogatis Kirchhoffius perspexit. In Samo autem oppugnanda Athenienses Olymp. 85, 1 1200 talenta consumpsisse, semper constabat ex Cornelii Nepotis V. Timothei c. 1. Nec Ephorus quin id tradidisset in dubio erat. A^o Diodoro enim quem Cumanum scimus expressisse scriptorem narratur

lib. XII c. 28 Athenienses Samiis ut 200 talenta redderent imposuisse quae in insulae oppugnatione periissent. Cum vero Thucydides omnem belli sumptum a Samiis praestandum fuisse prodat (I, 117) quominus apud Diodorum pro 200 talentis 1200 restituam, nihil morae habeo.

Et recte quidem Ephorus de sumptuum magnitudine egit. Locupletissime enim titulus C. I. A. nr. 177 testatur ab Atheniensibus 1276 talenta adversus Samios expensa fuisse.

Priusquam autem ex aerario deprompserint, annuos reditus Athenienses consumpsisse per se apparet. Comprehendebant ergo illa 1276 talenta et pecunias ex aerario sumptas et tributa modo collata.

Cum autem 1276 illa talenta ad unum omnia a Minervae quaestoribus erogata esse videantur, decretum nr. 32 quo quaestores pro Hellenotamiis tributa abhinc dispensare iubentur vetustius sit oportet Olymp. 85, 1.

Iam quaestio ad finem adducitur. Kirchhoffius enim sagaciter perspexit inscriptionem C. I. A. 299 qua quaestores Minervae nudo quaestorum nomine appellantur (*ταμίαι ἐκ πόλεως*) vetustiorum esse eo anno quo primum creati sint quaestores *τῶν ἄλλων θεῶν*. Eadem vero antiquior esse non potest anno Olymp. 84, 1 cum litterae sibilantis forma constans sit ξ , non ζ 1).

Decretum igitur nr. 32 cum et recentius sit Olymp. 84, 1 et antiquius Olymp. 85, 1 idemque Olympiadis cuiusdam anno secundo Atheniensibus placuisse ipse Kirchhoffius probavit in Commentt. 1864 p. 11 Olymp. 84 secundo anno factum sit necesse est.

Nunc vide quam praeclare decreti argumentum in ea quadret quae de hac aetate a scriptoribus tradita sunt. Exeunte enim quarto Olymp. 83 anno Thucydidem Milesiae

1) Kirchhoff, Studien zur Geschichte des griechischen Alphabets p. 69.

filium e patria eiectum esse, quis est qui nesciat. Qua autem de re Thucydides et Pericles inter se contenderint, certe ac distincte ut cognosceretur adhuc fieri non potuit. Plutarchi enim narrationem: (Per. c. XII. XIV.) Periclem Thucydide improbante id egisse ut Athenienses pecuniis quas socii contulissent quasi suis uterentur, cum falsa veris miscere videretur viri docti recte non magni aestimabant ¹⁾. Nunc quomodo res se habuerit patet. Rogationem tulerat Pericles ut tributa porro non ab Hellenotamiis sed a Minervae quaestoribus dispensarentur, pecuniis autem reliquorum deorum e singulorum templis in arcem illatis decem praessent quaestores publice constituendi.

Quae cum Thucydides impedire conaretur ostracismo instituto e patria depulsus est, Pericles autem insequenti anno decretum promulgavit cuius in manu tenemus exemplum ²⁾.

1) Koehler, Commentt. 1869 p. 99, 3. Wachsmuth, de urbe Ath. p. 529, 2.

2) Olymp. 84, 2 aliquid novatum esse in re aeraria eo quoque apparet quod inde ab hoc anno tributorum laterculis nomen eius adicitur qui eo anno Hellenotamiis praefuit. Primus autem nominatur Sophocles poeta quem Periclis sectatorem fuisse aliunde scimus. Quod casu evenisse nego. Neque enim sorte Hellenotamiae creabantur sed populi suffragiis. Quod priusquam demonstramus, refutanda est quam cum alii viri docti tum nuper demum Georgius Busolt (Der 2. athenische Bund p. 715) protulit sententiam: in Hellenotamiis eligendis tribuum rationem non esse habitam.

Sed errasse viros doctos Hellenotamiarum indice probatur qui reliquus est ex Olymp. 89, 4 (C. I. A. 260.)

— — ἦθ]εν

Ἡδύλος Φιλαΐδης Aegeis (II).

Πραξιβουλος Παιανεύς Pañdionis (III).

Periit nomen (IV).

α]ρχίδης Κεφαλῆθεν Acamantis (V).

Ἐργαμένης Ἀχαρνεύς Oeneis (VI).

Duo nomina exciderunt.

Sed homines religiosiores ut sibi conciliaret omnem-
que impietatis a se removeret suspicionem ita rem insti-

Ἀριστοκράτης Φαληρεὺς Aeantis (IX.)

Ἀριστοτέλης — — —

Hoc igitur anno decem Hellenotamias alium ex alia tribu
fuisse manifestum est.

Idem factum est Olymp. 89, 1 (C. I. A. 259.)

Sexto enim loco apparet nomen: *Ἀ[ρ]υ[σ]ιο[ς] Ἀχαρ[ν]εὺς* Oeneis
(VI), nono: *Ἀσχωρῶν Μαραθῶνιος* Aeantis (IX), decimo: *Φιλωτάδης*
Παλλη[ρ]νεὺς Antiochis (X).

Ex tertio autem Olymp. 92 anno novem traduntur Helleno-
tamiarum haec nomina: (C. I. A. 188.)

Καλλίας Εὐωνυμεὺς Erechtheis (I).

Λιονύσιος Κυδαθηναεὺς Pandionis (III).

Περικλῆς Χολαργεὺς Acamantis (V).

Ἀνάτιος Σφήτιος Acamantis (V).

Θράσων Βουτάδης Oeneis (VI).

Σπουδίας Φλυεὺς Cecropis (VII).

Πρόξενος Ἀφιδναῖος Aeantis (IX).

Εὐπόλις Ἀφιδναῖος Aeantis (IX).

Φάλανθος Ἀλωπεκῆθεν Antiochis (X).

Hellenotamiae ergo et ex Acamantide et ex Aeantide bini cre-
ati erant tribules. Hinc vero propter indices modo tractatos effici
non potest Athenienses tribuum rationem in hoc magistratu consti-
tuendo prorsus neglexisse sed tantum Hellenotamias non sorte electos
esse. Nam sortiti si essent ut complures ex una eademque tribu hunc
magistratum simul obtinerent, fieri nunquam potuisset.

Eadem vero creandi ratio haud dubie adhibebatur quae in
praetorum archaeresiis valebat. Statuebatur enim certus candida-
torum ex quaque tribu numerus, veluti trium, de quibus in comitiis
suffragia ferrentur.

Indicabo autem tres illos candidatos litteris A, B, C, tribus
I, II, III et ctr. notis. Iam si populo I A placuerat, sententia ferebatur
de II A. Si autem I A displicuerat sententia dicebatur de I B, de I C
et ctr. Hoc modo fieri potuit ut nec A, nec B nec C acceptis nullus
ex I tribu Hellenotamias eligeretur.

Nec aliter omnes qui tributim electi esse dicuntur magistratus
creatos esse coniecerim. Cf. Droysen, *Hermae* IX p. 6 sqq.

tuit ut priusquam de reliquorum deorum pecuniis in Opisthodomio deponendis cum populo ageret, quaecunque res publica a Minerva mutuata erat, Deae redderentur.

Reddita autem sunt 3000 talenta.

Tantam summam unde Athenienses tum sumpserint non satis apparet. Coniecerim autem Olymp. 83, 3 et Euboeos et Megarenses ut belli sumptus restituerent coactos esse.

Iam ab aemulo liberatus summam Pericles intendit curam ut opera publica suis auspiciis inchoata conficerentur inciperenturque nova. Et in ipso nostro decreto non solum de vasis sacris reficiendis sed etiam de maiore aliquo opere agitur quo quam pulcherrime arcem ornare Pericli in animo erat (B. v. 9 ὅπως ἄριστ[α τε καὶ κάλλιστα κοσμηθῆ]θήσεται ἡ ἀκ[ρόπολις καὶ ἐπισκευασθῆ]θήσεται τὰ πομπεῖα). Nec dubium est vasa quin populus reficere iusserit ut summo splenderent nitore cum magna aedes Minervae dedicaretur. Quod evenisse constat Olymp. 85, 3. Iam autem Olymp. 84, 1 vel 2 Phidiam magnum Minervae simulacrum elaborare coepisse titulo docemur C. I. A. 299. Quod opus ut quam celerrime atque quam magnificentissime absolveretur tum primum summum imperium adeptus Pericles instituit, egit, contendit. Quamobrem pie ac merito Phidiam egisse censeo cum Periclis imaginem Deae clupei insculpsit quasi alterius operis conditoris. —

II.

De censu ab Atheniensibus habito Olymp. 85, 2.

Sexagesimae tributorum indices sociis ab Atheniensibus impositorum quales nuper Udalricus Koehler et Adolphus Kirchhoff collegerunt, in ordinem redegerunt, restituerunt quicumque diligenter perlegit, non potest

non animadvertere Olymp. 85, 2 in Atheniensium societate multa et quae gravioris essent momenti mutata esse atque novata ¹⁾).

Nam usque ad Olymp. 85, 2 indices illi ita dispositi erant ut ab Ioniae incolis exordio facto Hellesponti, Thraciae, Cariae, urbes recenserentur, postremo loco insulis positis quotquot Atheniensibus stipendiariae erant.

Ab eo vero anno Thracicae civitates extremum locum, primum Ionicae tenent, medium praecedentibus insulis qui Hellespontum accolunt socii. Cariae autem urbes iam non separatim recensentur sed Ionicarum ordini inseruntur.

Atque cum eiusdem anni indicis, quae supersunt frustula, aliquot tributa solitis maiora, paria post impositis exhibeant, — Mendaeorum et Aegantiorum dico — recte, ni fallor, secundo Olymp. 85 anno Athenienses censum habuisse viri docti statuerunt ²⁾).

Quid mirum? Turbata erat respublica per duos fere annos Samiorum seditione. Aliquot civitates adcreverant societati, defecerant plures. Societatem his rebus labefactam nisi pace redintegrata quam primum nova tributorum descriptione restituissent Athenienses et suis et sociorum commodis male consulissent. Qua propter senatum populumque Atheniensium tributorum laterculum tum promulgasse cuius ordinem qui primitiarum indices composuerint prorsus imitatos esse pro certo habeo.

Nec Cariam cum Ionia ad unius provinciae formam redigere cur Atheniensibus tum placuerit, difficile est intellectu.

Satis enim multae Cariae Ioniaeque civitates quas

1) C. I. A. nr. 266 sqq.

2) A. Kirchhoff in tributorum laterculo quem C. I. A. adiciendum curavit. U. Koehler, *Hermae* VII p. 163. Minus recte de his rebus egit E. Curtius *Hist. gr.* II⁴ p. 224 et p. 815 n. 130. 132.

ante bellum Samium stipendia scimus constanter pependisse in laterculis Olymp. 85, 1 recentioribus non inveniuntur.

Testis est locupletissimus qui fere integer extat tributi Ionici catalogus undevicesimus, quarto post bellum Samium anno confectus. Cui quae desunt civitates ante Olymp. 85, 1 stipendiarias nominatim iam recenseo ¹⁾. Sunt autem Caricae hae:

<i>Ἀρχέσεια</i>	<i>Κρυῆς</i>
<i>Βαργυλιῆς</i>	<i>Ἀηψυμανδῆς</i>
<i>Θασθαρηῆς</i>	<i>Μυδόνες</i>
<i>Ἰδυμῆς</i>	<i>Μυλασῆς</i>
<i>Καρπάθιοι</i>	<i>Ναρισβαρηῆς</i>
<i>Καρυανδῆς</i>	<i>Παρπαριῶται</i>
<i>Κεδριᾶται</i>	<i>Πλαγαρῆς</i>
<i>Κεράμιοι</i>	<i>Συαγγελῆς</i>
<i>Κινδυῆς</i>	<i>Τρυβανῆς</i>
<i>Κλαννδῆς</i>	<i>Ἵρωμης</i>
<i>Κνίδιοι</i>	<i>Χαλκήτορες.</i>

Accedunt Ionicae:

<i>Αἶραις</i>	<i>Λεβέδιοι</i>
<i>Ἀστυρηνοί</i>	<i>Μυήσιοι</i>
<i>Γαργαρηῆς</i>	<i>Νοτιῆς</i>
<i>Γρυνειῆς</i>	<i>Πριανῆς</i>
<i>Δοσιριῶται</i>	<i>Πυγελῆς</i>
<i>Ἴησιοι</i>	<i>Φωκαιῆς.</i>
<i>Κλαζομένιοι</i>	

Tot nomina nec casu nec lacunosa tituli condicione intercidisse in propatulo est. Octo ²⁾ maxime nomina illius

1) Civitates quae ante Olymp. 85, 1 stipendia conferre desiisse videntur hic nolui recensere. Erythraeorum quoque colonos omisi. Nescio enim an C. I. A. 244, I vers. 44 in hunc modum supplendus sit: Ἐρυθ[ραῖοι] καὶ χ[συντελεῖς] (?) cf. Koehler, l. c. p. 122.

2) Octo dico. Nam quod prioris columnae v. 58 nomen scrip-

laterculi periere, triginta quinque desiderantur. Casu hoc ipso anno paucas urbes tributa non solvisse negari nequit, at quis tot credat, quot nomina absunt, septem et viginti.

At in syntelias quas Graeci dicunt receptae sub aliarum nomine hae urbes stipendia pensitarunt. Ne hoc quidem verisimile. Insulis enim ut par est exceptis Ephesi et Pitanes tantum tributa — ne ea quidem supra modum — Olymp. 85, 2 videntur aucta esse¹⁾.

Quid plura? Haec una, aut fallor, restat explicandi via.

Dum Samiorum seditione Atheniensium respublica in summo discrimine versabatur, plus minus viginti Asiae civitates a societate desciverunt. Quod cum haud in scio Pissuthne Persarum satrape accidisse intellexissent, (Thuc. I, 115.) has urbes in dicionem mox se redacturos esse Atheniensibus desperandum erat. Non enim ut seditioni confestim bellum externum continuaretur societatis interfuit. Quam ob rem ut unde digressi sumus redeamus, Cariae tributum quod separatim recenseretur iam nimis exiguum, Ionici ab Olymp. 85, 2 laterculo Athenienses inserendum curarunt.

Nec quod tum amiserunt imperium, totum unquam Athenienses recuperavere.

tum erat, satis certa ratione redintegrare licet. Koehlerus agnoscere sibi visus est litterarum *Te* (*TI*) vestigia. Quibus litteris trium tantum nomina Ioniae civitatum incipiunt ab hoc laterculo alienarum.

De *Teichiusa* autem quae semper una cum Lero insula recensetur, non est cogitandum. *Telemessii* quoque Lyciorum in finibus habitantes (Böckh, Oec. civ. Ath. II p. 736) quod nisi proximis annis post expeditionem quam Cimon in has regiones suscepit tributum non solvisse videantur, reiciendi sunt (cf. Koehler, Commentt. Acad. Berol. 1869 p. 120). Nil igitur morae habeo quominus cum Kirchhoffio in Commentt. Acad. Berol. 1870 p. 117 *Termerae* nomen laterculo reddam.

1) Gryneiae, Pygelaе, Myuntis tributa videntur Olymp. 86, 2 demum aucta esse. Cf. p. 23, 1. Nec tributum Phaselidis quae iacet in partibus barbarorum tum duplicatum esse a me impetro. Sexagesimae numeros malim restituere 200 quam 600 dr. (C. I. A. 244, I.41.)

Maritimas quidem urbes, quae emporio florebant, haud diu societati defuisse tributorum laterculis probatur 1). Sed populi qui Cariae Ioniaeque interiora obtinent non modo in potestatem non redierunt sed etiam duos Atheniensium exercitus cum debita tributa exacturi longius progredierentur Olymp. 87, 3 et 88, 1 gravissime vicerunt. (Thuc. II 69. III 19.) Adeo Samiorum seditione Atheniensium in his regionibus imperium periclitatum, ne dicam eversum est.

Nec melius in Hellesponto res cessere. Nam ut eos omittam socios qui iam ante Samiorum Byzantiumque seditionem tributa constanter solvere desierant (sunt autem *Βηρύσιοι, Γεντίνοιοι, Κεβρῆνοιοι, Τυρόδιζα*) inde ab Olymp. 85, 1 quamquam integer extat septimus decimus Hellesponti tributi index, *Ἀρισβαῖοι, Ἀστακηνοί, Ζελεῖᾶται, Σκάψιοι* omnino non commemorantur. Neandriae autem Olymp. 87, 1, Percotes et Palaepercotes Olymp. 88, 4 prima mentio recurrit. Hae urbes barbarorum in finibus sitae, omnes, si Astacum exceperis, a mari distant ut neque commercia neque societates per mare requirant. Et hanc nescio ob rem an dissolvendae societatis occasionem lubenter arripuerint.

Nec longe absunt quin plures tum etiam Hellesponti civitates quae in synteliis adhuc stipendia solverint ab Atheniensibus defecisse putem. Selymbrianorum quidem tributum a quinque talentis ad nongentas drachmas, Calchedoniorum a novem ad sex talenta extenuatum est. Sed quoquo modo haec res se habet sociorum numerum post Olymp. 85, 1 ita esse imminutum ut nova tributorum

1) Commemorantur in laterculis Olymp. 86, 1 recentioribus *Αἰραῖοι, Κλαζομένοι (245), Κνίδιοι, Λιοσιρῖται, Γρυνειῆς, Νοτιῆς, Γαργαρής, Ἡσσιοι (250), Καρνανδῆς (247), Ἀρχέσεια, Καρπάθιοι, Κεδριᾶται, Συναγγελῆς, Μυήσσιοι, Πυγελῆς (256), Πριανῆς (257)*. Nec Phocaeam, Astyram, Lebedum in omne futurum societatem neglexisse verisimile est.

descriptio differri non potuerit, satis mihi demonstrasse videor.

Hae quaestione absoluta haud inutile erit in eas inquirere civitates quarum nomina provinciarum ordine neglecto inde a duodevicesimo anno laterculis agglutinantur.

Sunt autem Olymp. 85, 4 hae :

<i>Πόλεις αὐταὶ φόρον</i>	<i>Πόλεις αἷς οἱ ἰδιῶται ἐνέγραψαν</i>
<i>ταξάμεναι</i>	<i>φόρον φέρειν.</i>
<i>Αἰολῖται</i>	<i>Πίλωρος</i>
<i>Γαλαῖοι</i>	<i>Κλεωναί</i>
<i>Μιλκῶριοι</i>	<i>Σίνος</i>
<i>Ἀμόργιοι</i>	<i>Διακρῆς ἀπὸ Χαλκιδέων</i>
<i>Κάσιοι</i>	<i>Πίστασος</i>
<i>Καλλιπολίται</i>	<i>Σύμη</i>
<i>Σαρταῖοι</i>	<i>Τινδαῖοι</i>
<i>Ἐτεοκαρπάθιοι</i>	<i>Κίθας</i>
<i>Φαρβήλιοι</i>	<i>Σμίλλα</i>
<i>Χεδρώλιοι</i>	<i>Γίγωνος</i>
<i>Πλεύμη</i>	<i>Αἴσα</i>
	<i>Βύσβικος, Ὀθορος.</i>

Cur hae civitates suis locis non insertae sint manifestum est. Eas enim non eodem quo ceteras iure fuisse, tituli probant qui praescripti sunt.

Et prioribus quidem quin ab Atheniensibus concessum sit ut sibi ipsae tributum summam statuerent non dubito ¹⁾,

1) Böckh, Oec. civ. Ath. II p. 614. E. Curtius, Hist. gr. II p. 239: »Es werden auch Städte genannt, die »sich selbst geschätzt hätten«; das sind wahrscheinlich solche, die freiwillig dem Bunde beigetreten waren und deshalb eine begünstigte Stellung genossen«. cf. C. I. A. 40. v. 5 sqq. *Διοπέλ]θης εἶπε. δι[α]χειροτονησαι τὸν δῆμον* (scil. Atheniensium) *αὐτίκ[α πρὸς Μ]εθωναίους εἶτε φόρον δοκεῖ τάττειν τὸν δῆμο[ν* (scil. Methonaeorum) *αὐτίκ]α μάλα ἢ ἔξαρκεῖν αὐτοῖς τελεῖν κ. τ. λ.* Aliter de hoc sociorum genere iudicavit Koehlerus qui l. l. p. 137 ita scribit: *Πόλεις αὐταὶ ταξάμεναι* sind Städte, welche die

quid sint πόλεις ἅς οἱ ἰδιῶται ἐνέγραψαν φόρον φέρειν minus liquet.

Monuit Koehlerus l. l. permissum esse Athenis ut de tributo sociis imponendo privati quoque viri rogationes ad senatum ferrent. Sane, sed quid hoc? Vix enim cuiquam vir doctissimus probabit eisdem civitatibus evenisse ut hac ratione pro rei natura minus usitata saepius censerentur. (Cf. C. I. A. 243, 244, 256, 257.)

Accedit quod aliud est socios censere (φόρον τάττειν) aliud tributum imponere civitati nondum stipendiariae. (ἐγγράφειν φόρον φέρειν, τάττειν φόρον φέρειν) ¹⁾ Quod ne Pericli quidem successurum fuisse acerrime contenderim.

Qua propter equidem urbes de quibus agimus non publice societati se applicuisse arbitror sed ex iis cives quosdam (ἰδιῶται) ut vectigalium immunes cum Atheniensibus negotiarentur, privato sumptu quotannis stipendia solvisse. Quo factum esse videtur ut eae civitates quamquam liberae erant suoque utebantur iure vel lucrosissimi sociorum beneficii participes fierent ²⁾.

Quae quamquam certis argumentis evinci nequeunt tamen aliorum virorum explicationibus deteriora non duco.

Billigkeit der von den Schätzern aufgestellten Ansätze mit Erfolg bestritten [δικαίς συμβολαίαις] und die von ihnen dagegen aufgestellten zur Annahme gebracht hatten«. Sed easdem urbes iterum atque iterum per tria lustra feliciter cum Atheniensibus de tributorum magnitudine certasse non probabile est. Cf. C. I. A. 243 (85, 4), 244 (86, 1), 253 (sed. inc.) 256 (88, 1), 257 (88, 2 aut 3).

Parum considerata de his rebus nuper protulit Busolt, »Der 2. athenische Bund« p. 714 Vol. Suppl. VII. Annal. Fleck.

1) Recte Koehlerus l. l. p. 61 supplevit: [Πό]λει[ς ἅς] οἱ [ἰδιῶται] [φόρ]ο[ν] ἔ[τ]ι[α]χ[σαν] φέρειν. Kirchhoffii: (C. I. A. 257) [Πό]λει[ς ἅς] οἱ [ἰδι]ῶ[ται] ἔ[τ]ι[α]χ[σαν] ne spatiis quidem convenit.

2) Vectigalia quaedam a sociis quoque Athenienses exegisse non ignoro. Sed multo maiora ab incolis civitatum non stipendiariarum exacta esse per se apparet.

Plerique enim sociorum quos supra recensui: *Γαλαῖοι, Αἰολῖται* (cf. Koehler p. 172), *Μιλκῶριοι, Σαρταῖοι, Φαρβήλιοι, Χεδρώλιοι, Πλεύμη, Πίλωρος, Κλεωναί, Σίνος, Πίστασος, Τινδαῖοι, Κίθας, Σμίλλα, Γύγωνος, Αἶσα, Ὀθόριοι* Thraciam tenebant ¹⁾, iidem Miltoriis, Chedroliis, Pharbēliis, Othoriis exceptis ad unum omnes primi Olymp. 85, 4 in laterculis occurrunt.

Quod casu factum esse nemo, opinor, existimabit si modo animadverterit Amphipolin totius Thraciae caput hoc ipso anno ab Atheniensibus conditam esse. Adde quod ceterae quoque illius indicis civitates ante Olymp. 85, 1 non commemorantur et Amorgum quidem usque ad id tempus Samiis stipendia solvisse Kirchhoffius sagaciter perspexit. (Commentt. 1873 p. 22, n. 4.)

Quibus omnibus perpensis persuasum mihi est Athenienses cum seditiosas Asiae civitates in dicionem redigi non posse intellexissent, ut in Thracia fines imperii propagarent maxime contendisse. Sed ut temere in Thraciam irruerent tantum aberat ut detrimentis quae antea ibi acceperant docti nil magis studerent quam firmum diuturnumque principatus fundamentum iacere. Quid autem plus adiumenti Atheniensibus afferre potuit quam amicitia Graecorum qui antiquitus Thraciae oras tenebant. Multi quidem eorum societati iam addicti erant sed nuntium novae et tantae urbis conditae non laetos eos accepisse facile intelligitur. Itaque ut eos metu dominationis liberaturi penitus sibi conciliarent omnesque quantum fieri posset ad societatem allicerent beneficia illa Athenienses tum proposuisse contenderim. Nec alio temporis momento pactiones factae esse videntur *περὶ τῶν πόλεων τῶν ἐπὶ Θράκης*, quae in decreto de colonia Bream deducenda commemorantur. (C. I. A. 31).

1) *Διακρίης* utrum Euboeam an Thraciam tenuerint indicari nequit.

Quae beneficia cum satis multae Thraciae civitates accepissent ut nonnullis aliarum regionum negarentur fieri non potuit.

Βυσβικηροί, Καλλιπολίται, Ἀμόργιοι, Συμαῖοι, Κάσιοι, Ἐτεοκαρπάδιοι cur prae ceteris ita ornati sint obscurum est. Sed si quis coniciat Amorgios ultro a Samiis defecisse, Callipolitas in Byzantiis opprimendis de Atheniensibus bene meritos esse nos non habebit refragantes. Symen autem coniecerim quod Doriensium erat colonia Athenienses leniter tractasse (Diod. V. 53.)

Sed nimis incerta sunt in quae inquiremus, hoc unum teneo proximis annis post Samiorum seditionem Athenienses singulari comitate ac indulgentia cum sociis egisse.

Qua cum sententia vehementer pugnat id quod Koehlerus statuit (l. l. p. 138. 139. Hermae VII p. 163.): Olymp. 85, 2 tributorum summam a 460 talentis ad 600 auctam esse.

Sed in errorem ductus videtur vir doctissimus fragmentorum quem sibi persuaserat ordine. Omnes enim civitates quarum restant et nomina et tributorum numeri in laterculis inde ab Olymp. 85, 2 — 88, 3 confectis solvebant quotannis circa 311 tal. 1900 dr.

Et implebant quidem

tributa regionis Ionicae	c.	25	tal.	4400	dr.
" "					
" "	Hellesponticae	c.	55	"	3680 "
" "	Thracicae	c.	137	"	3420 "
" "	Caricae	c.	39	"	5800 "
" "	Insularis	c.	52	"	2600 "

S. S. 311 tal. 1900 dr.

Ut vero summam tributorum efficiamus collatorum ab omnibus quorum nomina in his laterculis nunc mutilis olim scripta erant, componendi sunt cum sociis quorum nomina supersunt, tributorum indicia perierunt ii quorum ne nomina quidem nunc leguntur sed ex vetustioribus catalogis cognoscuntur. Colligitur ita eos omnes annis proximis ante

Olymp. 85, 2 contulisse ad summum 111 tal. 430 dr. Posui autem solvisse socios :

Ionicos	23 tal.	700 dr.
Hellespontios	22 "	— "
Caricos	26 "	1530 "
Insulares	39 "	4200 " 1)
S. S.	111 tal.	430 dr.

Quae 422 talentorum 2330 dr. tributa pro viribus sociorum aucta esse non nego, sed plus quam 460 talenta Athenienses Olymp. 85, 2 exegisse probari non potest.

Verum ne tantum quidem tributum Athenienses tum acceperunt.

Nonnullas enim civitates quas Koehlerii errorem reiecturi supra in rationem induximus, iam antea stipendia solvere desiisse verisimillimum est. Quas nunc recensebo adnotato quo anno postremo in laterculis nominantur.

<i>Μαιάνδριοι</i>	83, 4	4000 dr.
<i>Βηρύσιοι</i>	83, 3	1000 "
<i>Γεντίνιοι</i>	84, 2	500 "
<i>Κεβρήνιοι</i>	82, 3 1 tal.	2700 "
<i>Τυρόδιζα</i>	83, 4	500 "
<i>Βουκούντιοι</i>	83, 2	500 "
<i>Κοδαπής</i>	83, 4	1000 "
<i>Κυρβισσῆς</i>	83, 4	2000 "
<i>Κυλλάνδιοι</i>	83, 2 2 tal.	— "
<i>Πηδασῆς</i>	83, 2 1 "	— "
<i>Ἀμνανδῆς</i>	83, 3 — "	3000 "
<i>Τελεμήσιοι</i>	83, 3 1 "	— "
<i>Υδαῖς</i>	83, 2(?) — "	1200 "
<i>Υδισσῆς</i>	83, 2 1 "	— "
<i>Χῖοι</i>	83, 2 — "	2000 "
S. S.	9tal.	400 dr.

1) Eretrienses 10 tal. solvisse posuimus.

Qua summa una cum 6 talentis (minimum quotannis a sociis qui Olymp. 85, 1 desciverant solutis) de 111 tal. 430 dr. deducta, restabunt tantum 96 tal. 30 dr.: quae tributa a sociis quorum aut nomina aut tributorum indicia pessum data sunt Athenienses ex censu usque ad id tempus usitato Olymp. 85, 2 acceperunt.

Tributa igitur 407 talentorum 1930 dr. nisi supra modum aucta esse opinaberis, Atheniensibus cum plurimum ad 420 talenta Olymp. 85, 2 ex tributis redierunt.

Iam Koehlerus (l. l. p. 133) inde ab Olymp. 83, 3 — 85, 1 quotannis circa 423 tal. 3070 dr. collata esse solida ratione demonstravit. Quid plura? Tributorum summam Olymp. 85, 2 non auctam esse apertum est.

Sed ut quaestionem de illo censu ad liquidum perducamus paululum disputandum est num Koehlerus recte iudicavit Athenienses etiam quo tempore plus quam c. 420 talenta non rediisse sciamus imperasse tamen 460¹⁾).

Quod mihi quidem non persuasit.

Cum enim tributorum summa tum constaret, Atheniensium non intererat ut tributa civitatibus describerent, quas nullo pacto soluturas esse non ignorabant.

Praeter eos autem quorum nomina in laterculis exhibentur quosque 420 talenta contulisse scimus, socii Atheniensibus non erant.

Sed gravius superest argumentum.

Probavit enim Kirchhoffius in Commentt. Acad. Berol. 1873 p. 1 sqq. Athenienses a sociis agros emere solitos fuisse quos colonis atticis assignarent. Nec praesentibus nummis eos emebant sed ita institutum erat ut quaecunque civitas agros cesserat tributo levaretur.

Contra ius fasque fuisset si quantum tributi sic ex-

1) Re vera ne 420 quidem talenta quotannis redibant. Nam neque solvebant quoque anno omnes socii neque qui solvebant semper quantum impositum erat.

ciderat a reliquis sociis repetivissent. Agros enim, ut dixi, tributorum loco acceperant.

Quod Periclis dum valebat auctoritas nunquam Athenienses facere ausi sunt. Nam quantum tributi quotannis Atheniensibus socios debuisse Koehlerus censuit, tantum agrorum pretium fuisse hoc laterculo demonstratur. Remissa sunt:

Cherronesiis	c.	15 tal.	3000 dr.	Kirchhoff. l. l.	p. 24
Andriis		6 "	— "	"	p. 27
Naxiis	c.	6(?)	— "	"	p. 29
Lemniis		4 "	3000 "	"	p. 31
Imbriis		1 "	— "	"	p. "
Erythraeis ¹⁾		6 "	1900 "		
Solverant Hestiaei	—	"	980 "		
39 tal. 2880 dr.					

Athenienses igitur pactionibus cum his civitatibus factis per complures annos plus quam c. 420 talenta nec posebant nec accipiebant.

1) Erythras Athenienses coloniam deduxisse litteris non traditum est. Sed urbis celeberrimae tributum Olymp. 85, 2 a 7 talentis ad 4100 drachmas minutum esse explicari non potest nisi eandem causam quam plerumque hic quoque valuisse statueris. Nec vestigia desunt Athenienses ea aetate saepius cum Erythraeis de rebus publicis egisse. Cf. quae extant decretorum fragmenta C. I. A. 9, 10, (melius apud Hicksium Anglum I. Mus. Brit. I, III) 11. —

Quod in C. I. A. sequitur decretum, ni fallor de colonis Colophonem deductis (v. 8 *ὀικισται*), inter Olymp. 82, 1 et 83, 3 factum esse coniecerim. Illo enim anno 3 talenta, hoc 1 tal. 3000 dr. solvebant Colophonii. —

Occasione oblata errores quosdam expellere liceat qui in Kirchhoffii tributorum laterculum irrepserunt. Scribendum enim est:

s. v.	<i>Ἐρυθραῖοι</i>	IV pro 3800 dr.	4100 dr.	pag.	227
s. v.	<i>Καρχηδόμοι</i>	V pro 5 tal.	4800 dr. 5 tal.	5100 dr.	» 228
s. v.	<i>Παριανοί</i>	V pro 1500 dr.	2100 dr.	»	»
s. v.	<i>Ἰδυμῆς</i>	I pro 1 tal.	3390 dr. 1 tal.	890 dr.	» 231

Quo autem tempore bellum Peloponnesiacum susceptum fuerit summam tributorum 600 talentorum fuisse, disertis verbis Thucydides testatur (II, 13). Unde inter Olymp. 85, 2 et 86, 4 censum habitum esse elucet.

Quod cum quinto plerumque anno factum esse sciamus aut secundo aut quod malim tertio Olymp. 86 anno tributa ab Atheniensibus aucta esse confidenter statuere licet ¹⁾.

Minus certum iudicium de ea re proposuerim, utrum ex Periclis voluntate census ille habitus fuerit. Quod vero anno Olymp. 86, 4 et Chalcidices urbes et Bottiaee ab Atheniensium societate defecerunt, quin hanc maxime ob causam factum sit plane non dubito.

III.

Atheniensium praetores quo tempore magistratum inierint.

Atheniensium praetores primo mensis Hecatombaeonis die magistratum iniisse, etsi certa ac solida, quantum video, ratione Droysenus nuper demonstravit ²⁾, tamen eius

1) Hoc demum anno Gryneae, Pygelae, Myuntis tributa aucta esse probabile est. Quae urbes quantum Olymp. 85, 2 — 87 3 solverint ex laterculis non apparet.

2) Hermae, IX p. 1 sqq. Droyseni commentationis ignari ad eandem pervenerunt opinionem: R. Christensen in *Tidsk. for Phil. og Paedag.* IX p. 309 sqq. B. Arnold, in *Diss. Lips. de Atheniensium praetoribus saeculi a. Ch. n. V.* Adolphus Schmidt, in *J. Litt. Z.* 1875 p. 75. Nunc vide Lipsium quoque *Jahresbericht über die griechischen Altertümer* ed. Bursian. II p. 1365 sqq.

sententiam Historiae graecae iterum cum ederet Vol. II labefactatum ivit Ernestus Curtius 1).

Quod cum ita sit haud abs re erit novo Droyseni sententiam stabilire argumento.

Athenienses e decem praetorum numero quotannis principem elegisse collegii cum per se sit verisimile tum et Quaestorum et Hellenotamiarum exemplo probatur. Licet veterum scriptorum nemo distinctam illius principis mentionem fecerit, indicia tamen supersunt, quibus talem collegii ducem fuisse significetur.

Pericles enim et Nicias quos hoc honore functos esse non dubito nudo nomine dicuntur *στρατηγοί*, collegae autem eorum vel *ὑποστράτηγοι* vel *ξυστράτηγοι* cfr. e. c. Th. II. 58. Plut. Per. c. 13. Accedit quod Nicias a Plutarcho fertur Sophoclem poetam ut primus in consilio sententiam diceret adhortatus esse (Plut. Nic. c. 15). Quo monendi officio quem fungi decet, nisi qui collegio praeest?

Gravioris vero momenti hoc est.

Niciam quem Athenienses vere a. 421 Spartam miserant Lacedaemoniis ut societatem cum Boeotis initam solverent persuasurum, infectis rebus cum Athenas reverteretur,

1) p. 825, 61. 'Demosthenes seit wann Strateg? Wahrscheinlich seit dem Gelingen des Handstreichs auf Pylos ausserordentlicher Weise dazu ernannt. Denn auch Droysens Bemerkungen über die att. Strategen überzeugen mich nicht. Ich habe auch p. 238 Winterwahl angenommen und glaube, dass man bei Verlegung des Jahresanfangs aus unverkennbaren Zweckmässigkeitsgründen die Strategenwahl am Ende des alten Jahres festgehalten hat.' Miror quod Curtius eiusdem Vol. p. 20 Miltiadem eiusque collegas *haud multo post solstitialem diem magistratum iniisse* narravit.

Neque constantior Classenus. Cf. quae annotavit vir doctissimus ad Thuc. I c. 117 (da aber die Strategenwahl im Winter vorgenommen wurde etc.) et II, 29 (die Rede fällt vor Schluss des attischen Jahres und daher auch *ἔτι δ' ἐστρατήγει*).

aegre ferebant (Thuc. V, 46). Sed leniter — ut Plutarchus inquit — punierunt: Alcibiadem scilicet creantes praetorem. (Nic. c. 10: οὐ μὴν ἔπραξαν τι τραχύτερον ὀργῇ πρὸς ἐκεῖνον ἀλλὰ τὸν Ἀλκιβιάδην στρατηγὸν εἴλοντο). Niciam vero extra ordinem a munere remotum esse cogitari nequit. Hoc enim magistratui nisi capitis arcesso accidere nulli potuit. Quomodo igitur Alcibiade creato puniebatur Nicias? Quid tandem cum eiusdem non essent tribus, impediēbat uterque quominus collegio decem praetorum interesset? Haec una, aut fallor, patet explicandi via: non de universo praetoris munere sed de summi ducis honore eo tempore inter Niciam et Alcibiadem actum esse. Usque ad haec rerum discrimina Nicias et princeps fuerat praetorum et rempublicam gesserat, archaeresiis vero quae proximae post Niciae reditum fiebant, Alcibiades in eius locum successit. Quae si recte disputata sunt non solum summum imperatorem elegisse sed etiam verno id tempore facere solitos fuisse Athenienses apparet.

Iam vero reliquum est testimonium luculentissimum, titulum dico qui editus extat C. I. A. 273. In qua inscriptione pensiones recensentur per tertium Olymp. 88 annum a quaestoribus factae. Sexies autem hoc anno numerarunt et bis quidem secunda pryntania, deinde quarta, bis octava, postremo decima.

Primam pensionem praetores Hippocratem Cholargeum eiusque collegas accepisse (στρατηγῶς Ἱπποκράτει Χολαργεῖ καὶ ξυ[νάρχουσιν]) disertis tituli verbis probatur. Ceteras summas qui acceperint, cum non adnotatum sit iidem praetores quin fuerint dubitari nequit.

De singulis vero ducibus qui bellum gerentes pecunias consumpserint altum silentium: unius Hippocratis nomine totum collegium significatur. Quod nisi Hippocrati ut ἐπωνύμιω et principi praetorum, collegarum res gerere mandatum fuisset, fieri non potuisse contenderim.

Itaque Hippocratem per tertium Olymp. 88 annum imperatoris locum obtinuisse pro certo habeo.

Quod munus per sequentem annum Niciae fuisse non indetantum colligam quod Olymp. 88, 4 a quaestoribus non *Ἰπποκράτει Χολαργεῖ καὶ ξυνάρχουσιν* sed *Νικίᾳ καὶ ξυνάρχουσιν* (C. I. A. 273 v. 20—23 numeratur sed etiam ex iis quae Thucydides de Cleonis intentione in praetores qui Sphacteriam obsidebant memoriae prodidit (IV, 27 sq.). Nam quaecumque in praetores Cleon opprobria fundit, in se recipit eaque defendere studet Nicias atque unus tacentibus collegis cum populo agit et Cleone.

Quae facta esse Hecatombaeone Olymp. 88, 4 Droy-senus nuper demonstravit (Hermae IX p. 18). Itaque cum decima Olymp. 88, 3 prytania penes Hippocratem (C. I. A. 273 v. 12—14), prima Olymp. 88, 4 penes Niciam imperium fuisse invenerimus, anno ineunte illum abdicasse, hunc iniisse magistratum manifestum est.

Quo concesso nescio an perspicias Cleonem quid commoverit ut ipso illo temporis momento in Niciam tam vehementer ac repente inveheretur. Quod haud inscio Demosthene Cleonem fecisse Onckenus mihi persuasit argumentis quae protulit in libro *‘Athen und Hellas’* II, p. 275 et 270. Demosthenem vero coniunctissimum fuisse Hippocrati, quocum domi militiaeque iisdem muneribus saepius functus est, ex Thucydidis libris satis apparet. Eiusmodi amicitiae necessitudo ut inter Niciam et Hippocratem valuerit tantum abest ut aemulorum in republica partes eos egisse coniecerim. Quarto enim Olymp. 88 anno quo Niciae floruisse auctoritatem Thucydides docet, ne semel quidem Hippocratis mentio fit. Contra per annum qui praecessit et quo summum imperium apud Hippocratem fuisse invenimus de rebus quas Nicias gesserit nil traditur.

Aequae Olymp. 89, 1 usque ad pugnam apud Delium commissam soli Hippocrates et Demosthenes rem publicam gessisse videntur nec antequam Hippocrates obiit quam

olim obtinuerat Niciae auctoritas restituta est. Una vero cum Hippocrate exercitui nunquam praefuit.

Et eandem fere rationem inter Niciam et Demosthenem fuisse inde colligitur quod ne hi quidem una imperium tenuerunt nisi republica in summo periculo versante. Nam in Sicula quoque expeditione extremo demum tempore collegae facti sunt. Et quicumque pensitarit quam diversis moribus et ingenio fuerint de re publica eos idem iudicare fere non potuisse facile intellet.

Qua de causa duas tum Athenis partes fuisse existimo quarum altera Nicia duce optimatibus favisse altera Hippocratis atque Demosthenis auspiciis plebis rem egisse videatur. Et hac quidem a parte Cleon non prorsus alienus erat.

Iam archaeresiis vere a. 425 habitis a Niciae partibus Hippocrateas victas esse ut ipse Nicias incunte Hecatombaeone in Hippocratis locum succederet supra demonstravimus. Quae si vera sunt iure nobis concludere videmur Cleonem cum Niciam imperium modo adeptum tam vehementer aggredere non temere vel sua sponte egisse sed ea persecutum esse consilia quae Hippocrates aliique duces ex quo eieci imperio erant contra Niciam machinati esse videantur.

Sed hac de re utut iudicabitur Hecatombaeone mense praetores Atheniensium magistratum iniisse uno quod exposuimus argumento ita explicatum habemus ut plures quae in promptu sunt huius rei causas addere nolimus.

IV.

De Themistoclis nobilitate.

C. I. A. nr. 181, v. 6—10 sic legendos esse puto: Ἐπὶ τῆς Αἰαντίδο[ς . . . ἰς πρωτανευούσης παρέδομεν στρατηγοῖς ἐς Μῆλον, Τεισί]α Τεισιμάχου Κεφαλήθεν, | Κλεομήδει

Ανκο[μίδου Φλυεῖ . . . ἡμέρα . . . τῆς πρωτανείας, ψηφισαμέν]ου τοῦ δήμου τὴν ἄδειαν Δ.

Ἐπὶ τῆς Ἀντιοχί[δος . . . ε πρωτανευούσης Ἑλληνοταμίας παρέδομεν, . .]ω Α[ὐρ]ίδῃ, Τιμάρχῳ Παλλήνεϊ καὶ στρα[τηγοῖς ἐς Μήλον, Τεισία Τεισιμάχου Κεφαλήθεν, Κλεομήδει Ἀνκομίδ]ου Φλυεῖ, τρίτῃ καὶ δεκ[άτῃ ἡμέρᾳ τῆς πρωτανείας . . .].

Quae recte ita expleta esse cum ipsa spatiorum ratione probatur tum hinc patefit quod iis cum rerum scriptoribus convenit.

Cleomedem enim e Lycomidarum gente ortum esse patris nomine manifestatur. Atque Lycomidarum *τελεσθήριον* a Themistocle clarissimo duce restitutum Phlyae exitisse Plutarchus tradidit Them. c. 1. Quid igitur probabilius est quam ipsi huic pago quosdam Lycomidarum gentiles adscriptos fuisse?

Quam gentem inde a quarto a. Ch. n. saeculo summis sacerdotum honoribus ornatam fuisse consentaneum est (cf. e. c. Lenormant, Recherches à Eleusis p. 157. Quanti autem quinto saeculo in republica aestimata fuerit non solum Cleomedis exemplo probatur qui praetoris munus adeptus est, sed etiam e titulo C. I. A. nr. 446 (I. Mus. Br. XXXVIII) patet quo v. 14 inter Cecropidis tribules qui bello occubuerunt primo loco recensetur *Ἀνκομίδης* quidam. Cleomedis patrem intellegendum esse si quis contendat, neque quibus refellas habebis neque cur probes argumenta idonea. Hoc unum autem pro certo habuerim Lycomidarum gentis fuisse Lycomedem. Quibus perpensis recte Cornelium Nepotem egisse cum Neoclem Themistoclis patrem generosum laudaret quis est qui neget? (V. Them. c. 1).

Sed ne mater quidem Themistoclis tam humili loco nata esse videtur quam ii scriptores quibus rhetorice historiam exornare placuit multis persuaserunt.

Amphicrates quidem quem et Plutarchus (Them. c. 1) et

Athenaeus (p. 576 C) expresserunt ¹⁾, Themistoclis matrem Abrotonon nominavit, gente Thressam. Sed Amphicrates quod et vixisse videtur non ante Luculli aetatem (Müller F. H. G. IV p. 300) nec alio eius sententia nititur argumento quam Abrotoni elogio, quod manifesto ficticium est, pluribus qui refutetur dignus haberi nequit.

Cumque Phantias Eresius (l. 1.) Euterpen Carinam Themistoclis matrem fuisse memoriae prodidisset, Neanthes Cyzicenus, compiler ni fallor Phaniae, de suo haud dubie adiecit Halicarnassi Euterpen natam fuisse. Et Phaniae quamquam fides non summa est tamen ei credendum fuisset nisi testimonium graviore auctoritate comprobatum Cornelius Nepos nobis servasset.

Cuius libri Themist. V. c. 1. haec praebent: (Neocles) „uxorem Acarnanam (Dan. A. B. M. P. arcananam R) civem duxit ex qua natus est Themistocles“. Vocabulum „Acarnanam“ cum contra linguae leges formatum esse videretur, plurimi abiecerunt editores tantumque a librorum fide recesserunt ut Neanthis quasi testimonium comprobaturi Cornelianae quoque narrationi „Alicarnassiam“ inferrent ²⁾. Nos Buechelerus docuit Acarnanam servandum esse: inusitatum id quidem nec tamen molestius quam „Athamana“ qua forma Propertius usus est „Athamana ad litora“ V, 6. 15 ³⁾.

Idcirco autem Cornelii plaris quam ceterorum omnium scriptorum auctoritas ferenda est quod per omnem Themistoclis vitam et Theopompi et Ephori vestigia eum pressisse constat ⁴⁾.

Et suo iure Nepotem Neoclis uxorem Acarnanam ap-

1) Unger, Philol. Anz. 1874 p. 375.

2) Nipperdey, Spicil. cr. in Cornel. Nep. p. 16.

3) Similia quaedam vide apud Neue, Lat. Formenlehre I p. 330—332.

4) Albracht, de Themistoclis Plut. fontibus p. 78.

pellasse ex hac Plutarchi narratione collegerim. Narravit enim Plutarchus Themist. vita c. 24 Corinthios et Coreyraeos cum de Leucade utriusque colonia inter se contenderent arbitrum constituisse Themistoclem. Cuius prudentia ut transactio fieret inter eas civitates praeclare contigisse.

Atque Leucadem Acarnaniae fuisse caput inter omnes constat. Quapropter nescio an recte coniecerim ipsum Themistoclem ut de Leucade discerneret maxime eam ob rem electum esse quia et rerum cognitione et auctoritate apud Acarnanes florebat materna iis gente cognatus.

V.

De Clitone Cimonis uxore.

Stesimbrotum, qui fertur, cum haud minimam partem nugarum quas de claris Atheniensium ducibus proposuit comoediae atticae poetas debere consentaneum sit¹⁾, tum ex eodem haud dubie fluxerunt fonte quae de Cimonis uxore tradidit.

Narraverat autem ut Plutarchus in Cimonis vita c. 16 tradit, Lacedaemonium et Eleum Cimonis filios natos fuisse ex muliere Clitoria, ideoque iis Periclem saepe maternum genus exprobravisse.

Quae ficta esse vel inde veri fit simillimum quod summi in republica honores Lacedaemonio non defuerunt. (C. I. A. 179.) Unde vero Stesimbroti error ortus sit, titulis ni fallor quibusdam docemur.

In catalogis enim rerum sacrarum quas proximis post

1) Rühl, Quellen Plutarchs im Leben des Kimon. p. 47.

Euclidem archontem annis quaestores Minervae et reliquorum deorum proposuerunt non semel recensetur cistula a Clitone Cimonis uxore Dianae Brauroniae dīdicata ¹⁾). Quocum Stesimbroti narratione collata vix dubitarim quin poeta nescio quis comicus ea de causa Periclem Cimonis filios contemptos habuisse finxerit quod non ab Atheniensi cive sed — perstrinxit autem matris nomen Clitonem — ex barbara muliere Clitoria nati fuerint.

Quibus ita explanatis Diodorum Periegetam a Plutarcho perhiberi non unum Thessalum sed omnes Cimonis filios ex Isodice Euryptolemi filia natos esse memoriae tradidisse, praeterire nequeo. Cuius testimonii num tanta sit vis ut quae antea composui infringantur, prudentiores videant iudices. Mihi quidem persuasum est Cimonem et Isodicen et Clitonem uxores habuisse.

VI.

De Asclepiade praetore.

Quod apud Pausaniam (I, 35) legitur nomen praetoris: Ἀσκληπιάδης non sanum esse recte viri docti contenderunt (Cf. Schubarti praef. in Paus. ed. p. VIII.). Nam non solum prorsus ignotum est nomen sed etiam a linguae graecae rationibus abhorrere videtur. Quod autem mendoso nomini substituit C. F. Hermannus ²⁾ Ἀσκληπιάδης Schubartus in textum recipere ausus non est. Sed omnis de Hermanni coniectura tollitur dubitatio titulo quem edidit Rangabeus

1) Böckh, Oec. publ. II p. 263: ἐγκιβωτίῳ ποιζίλῳ ὃ Κλειτὸν Ἀριστο . . ου Κίμωνος γυνὴ ἀνέθηκεν κ. τ. λ. cf. Hicks I. M. Br. XXIX v. 31. Ephemeris arch. N. S. 1873] p. 425 Ἀριστο] . . οσ . . ονίου Κίμωνος γυνή.

2) Philologus III p. 548.

in Ant. hell. nr. 1180. Nam „Ascetadem“ praetorem quem Olymp. 115, 1 capitis damnasse Athenienses a Pausania traduntur non alium esse atque *στρατηγὸν Ἀσκληπιάδην Ζήρωνος Φυλάσιον* quem milites statua honorarunt Olymp. 112, 1 ei probatum fore spero qui Atheniensium moris meminerit quo viros quorum prudentia atque virtus comprobata erat iterum atque iterum praetoris munere ornare soliti erant.

Scriptor de vita sua.

Natus sum Georgius Loescheke Penigensis anno h. s. LII die XXVIII mensis Iunii patre Bernardo, matre Elisa e gente Weicker, cuius praematura morte mihi ereptae amantissime partes suscepit altera mater Clara e gente Poetzschke. Qua cum superstite laeter patris mortem iam per X annos lugeo.

Fidei addictus sum evangelicae.

Puerili institutione imbutus autumnno anni h. s. LXV gymnasium adii Plaviense ubi inprimis me sibi devinxerunt viri humanissimi Gessing et Kaemmel, primi studiorum meorum auctores.

Vere anni LXXI Lipsiam me contuli philologiae et historiae operam navaturus. Docuerunt me autem vv. dd. M. Bernays, Biedermann, G. Curtius, Drobisch, Hermann, Jordan, Overbeck, Peschel, Philippi, Ritschl, Rühl, Voigt, Wuttke, Zarneke.

Exercitationibus ut interessem benigne concesserunt Vasarianis Jordan, historicis et palaeographicis Philippi et Voigt. G. Curtii benevolentia factum est ut per sex menses seminarii philologici adscriberer sodalibus extraordinariis. Praeterea vero Overbeckii particeps fui exercitationum, quem mihi virum ad artium graecarum studia suscipienda principem extitisse auctorem immemor nunquam fiam.

Duos annos Lipsiae commoratus Bonnam migravi ubi audivi vv. dd. I. Bernays, Buecheler, R. Kekulé, I. B. Meyer,

M. Ritter, Schaefer, de Sybel, Usener. Ut in seminarium historicorum reciperer eiusque essem per quinquies sex menses sodalis ordinarius singulari Schaeferi et H. de Sybel, quibus in regimine mox accesserunt C. Menzel et M. Ritter, erga me benevolentia factum est. Per idem tempus seminarii archaeologici participem me voluit Renardus Kekulé admittere.

Denique ut interesset exercitationibus epigraphicis et philologicis summa permiserunt liberalitate Buecheler, Hiller, Kekulé. His viris omnibus quicumque ingenium meum ad humanitatem informare voluerunt, gratias ago quam maximas. Longe vero plurimum debeo viris humanissimis cum Kekulé et de Sybel, tum Francisco Buecheler, Adolpho Philippi, Arnoldo Schaefer, qui omni tempore studia mea graviter simul et comiter incitarunt, adiuvarunt, auxerunt.

Sententiae controversae.

I.

Aristophanis et Nubes et Acharnenses alterius nec tamen absolutae retractationis indicia prae se ferunt. Iterum autem docta est neutra.

II.

Clitarchus de Alexandro historias post a. 304 a. Ch. n. condidit. Cf. Arrian. Anab. VI, 11, 8.

III.

Scriptis Pom. Mel a III, 5, 8 p. 72 ed. Parthey: ultra Caspium sinum quidnam esset ambiguum aliquamdiu fuit, Indiae ne (idemne codd.) Oceanus an tellus infecta frigidibus sine ambitu ac sine fine proiecta. Sed praeter physicos Homerumque [qui] universum orbem mari circumfusum esse dixit (codd. dixerunt) Cornelius Nepos et ceteri.

IV.

Collegis a pryntania recedentibus Miltiadem in pugna Marathonia principatum tenuisse Philaidarum inventum est.

V.

Aeschyli frg. 395 Nauck. ita fere legendum est:
Άλιαντος άστν προς νότου κείται πνοάς.

VI.

Supplendum est C. I. A. 227 frg. 5 v. 8 Παρ[παριῶται], 238, II v. 12 Ἀ[στακηνοί], 239, II v. 12 [Τενέδιοι], v. 13 [Κιανοί], v. 15 [Ἄλωπεκοννήσιοι], 257, I v. 39 Π[λεύμη].

VII.

Herodotus VIII, 85 *Σαλαμῖνος*, non *Ἐλευσῖνος*, scripsit. Nam hoc si scripsisset et secum ipse et cum Aeschylō atque Ephoro pugnaret. Cf. Herod. VIII, 76. Aeschyl. Pers. v. 450 sqq. Diod. XI, 18 v. 23 ed. Bekk.

VIII.

Superest decreti honorarii pro Archelao Macedonum rege ab Atheniensibus facti fragmentum C. I. A. 82. Cf. Andoc. de red. § 11.

IX.

Largitionem in Minervae Victoriae et Dianae *φωσφόρου* honorem VI. Boedromionis die Athenienses instituebant. Cf. C. I. A. 189^a v. 17—19. Benndorf. Beiträge zur Kenntniss des att. Theaters p. 68. Tab. nr. 46.

X.

Aristophanis Acharnensium interciderunt versus complures inter 8 et 9. Cf. v. 2.

XI.

Anaximander ἐν ἰχθύσιν ἐγγενέσθαι τὸ πρῶτον ἀνθρώπου ἀποφαίνεται καὶ τραφέντας ὥσπερ αἱ φάλαιναι κ. τ. λ.

Insulse enim traditur ὥσπερ οἱ παλαιοί Plut. Quaest. symp. VIII, 8, 4.

XII.

In Marathoniae pugnae pictura Cynegirum canis imagine insignem reddidit Mico. Cf. Overbeck, S. Q. 1083.